



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De episcopis qui ab omnibus suis criminantur, vt eorum criminatio non
recipoatur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

D. BURCHARDI EPIS. VVORMAC.

alterius. Et quis est qui alterius iudicet seruum? Nā si ista non patiuntur homines, nec Deus Deorū, & dominus dominantium hęc vllatenus patitur. Vnde & per prophetas sibi testes esse dicebat: per quos dominus loquitur dicēs: Ecce excoxi te, sed non quasi argentum: elegi te in camino paupertatis. Propter me, propter me faciam, vt nō blasphemem, & gloriam meam alteri non dabo.

*Nimis timendum & prauidentum ne offendantur
episcopi. Cap. CXXXIIII.*

Cap. Euaristi pap. 6. omnibus per Aegyptū fratribus missum. **N**imis timenda est fratres hęc sentētia, & prauidentum vobis, ne offendatis eos, qui tantam a domino potestatem habent. Et ideo potius obaudiendi, diligendi, & summopere sunt venerandi, & non detrahendi, vel lacerandi, aut eiiciendi, sed portandi & amandi, ipso dicente domino: Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit. Ideo hęc vobis & omnibus fidelibus scribimus, fratres, vt ab his vos caueatis, & posteris vestris non malum sed bonum exemplū relinquatis, quoniam iniuria episcoporū ad Christum pertinet, cuius vice funguntur.

*De episcopis qui ab omnibus suis criminantur, vt eorum
criminatio non recipiatur. Cap. CXXXV.*

Ex epist. Calist. pa. ca. 1. **C**alixtus episcopus Ecclesię catholicę vrbis Romę, Benedicto fratri & coepiscopo, salutē in Christo. Criminationes verō contra doctorē nemo suscipiat: quia nō oportet filios patres reprehēdere, nec seruos dominos lacerare. Filij ergo sunt doctorum omnes quos instruunt: & sicut filij patres carnales, sic & hi patres debēt diligere spiritales. Non enim bene viuunt, qui nō rectē credūt, aut patres reprehēdunt, vel detrahunt suis. Doctores ergo, qui & patres vocantur, magis portandi, quā reprehēdendi sunt, nisi in recta fide errauerint. Nullus ergo doctorum per scripta accusetur, nec nisi fideli & legitimo, qui etiam irreprehensibilem vitam ac conuersationē ducat, accusatori respondeat. Quia indignum est, vt doctor stulto & indocto, atque reprehensibiliter viuenti respondeat iuxta stultitiam suam, dicente scriptura. Non respondeas stulto iuxta stultitiam suam. Non bene viuunt, qui non rectē credit. Nihil mali vult, qui fidelis est. Si quis

fidelis est, videat ne falsa loquatur, aut cuiquã infidias ponat. Fidelis homo semper fideliter agit, & infidelis callidè infidiatur, atque fideles & piè ac iustè viuètes perdere nititur, quia similis similem sibi quærit. Infidelis verò homo, mortuus est in corpore viuète. Econtra sermones fidelis hominis, vitam custodiunt auditorum. Doctorè enim catholicum, & præcipuè domini sacerdotem, sicut nullo errore implicari, ita nulla oportet machinatione aut cupiditate violari, dicente scriptura sancta: Post concupiscencias tuas non eas, & à voluntatè tua auerteris.

Episcopos à suis ouibus non reprehendendos, nisi in fide errauerint. Cap. CX, XXVI.

DOCTOR autem vel pastor Ecclesiæ, si à fidelibus exorbitauerit, erit à fidelibus corrigendus. Sed pro reprobis moribus magis est tolerandus, quàm distrigendus, quia rectores Ecclesiæ à domino sunt iudicandi, sicut ait Propheta: Deus stetit in synagoga deorum, in medio autem deos discernit. Vnde oportet vnumquèque fidelè, si viderit aut cognouerit plebes suas aduersus pastorè suum tumescere, aut clerũ detractionibus vacare, hoc vitium pro viribus extirpare, prudentèrque corrigere fatagat: nec eis in quibuscunque negociis misceri, si incorrigibiles apparuerint, antequam suo reconcilientur doctori, præsumat: quoniã tam sacerdotes, quàm reliqui fideles omnes summam debent habere curam de his qui pereunt, quatenus eorum redargutione, aut corrigatur à peccatis, aut, si incorrigibiles apparuerint, ab Ecclesia separentur.

De eadem re. Cap. CXXXVII.

Ipsi autem episcopi si exorbitauerint, ab istis, non sunt reprehendendi, vel arguendi, sed portandi, nisi in fide errauerint. Hi ergo super hos sunt, non illi super istos: quoniam maior à minore non argui, nec iudicari potest. Nullus se extollat erga doctores ac magistros suos: quia discipulus super magistrũ nec esse debet, nec potest. Nullus velit dici sanctus antequam sit, sed prius sit, vt verius dicatur. Præcepta domini, doctorumque ac magistrorum factis quotidie adimplere, & in Christi nomine pro inimicis orare oportet,

Ex epist. Anacleti papæ, scripta õibus Christi sacerdotibus, cap. 1.

Ex decr. Clemētis pap. cap. 17.